A very faint, light gray watermark of a classical building with four columns and a triangular pediment occupies the background of the entire page.

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

<https://archive.org/details/carminaribuo00gibb>

C A R M I N A
MARMORIBVS ARVNDE-
LIANIS

FORTASSE' PERENNIORA:

In promotione ad Sacram Purpuram Eminentissimi
& Reuerendissimi Principis, PHILIPPI THOMAE
HOVWARDI, ex *Norfolkiae* Ducibus, & Comitibus
Arundelia &c. S. R. E. Cardinalis, decantata.

A

IACOBO ALBANO GHIBBESIO,


M. D. OXON. & P. L. CAES.



R O M AE,
Ex Typographia Francisci Tizzoni,
M. DC. LXXVI.

SUPERIORVM PERMISSV.

16. Письмо князя Григория
СОФИИ ОГУРИЦЫ
HENRIGO



17. Письмо князя Григория
СОФИИ ОГУРИЦЫ
HENRIGO



ILLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO Q;
 H E R O I,
 HENRICO HOVVARDO,
 MAGNO ANGLIAE MARESCALLO,
 NORFOLCIAE,
 AC ARVNDELIAE DOMVS
 COLVMINI.



E N S I S iam octauis hoc ineunte
 anno nouo procedit, E X C E L-
 LENTI S S I M E P R I N C E P S,
 ex quo *Philippus Thomas*, summa
 vir sapientia, ac virtute præditus,
 frater tuus, quamuis peregrè ab-
 esset, nihilquè tum fortassè minùs
 (pro illa sui, in tanta claritate vel meritorum vel
 prosapiæ, moderatione animi) cogitaret, ad Roma-
 nam Purpuram, Diuis hominibusquè approbanti-
 bus, est feliciter euocatus. Vel indè colligere licet,

qui fuerit generum sensus, atq; ordinum omnium, de optimi Pontificis delectu in eo creando, quæ lœtitia, quæ gratulatio; cùm ad conspectum eiusdem Romanam adducti tam valde populus effusus & concurrens perpetuis prætextisquæ vijs acclamàrit.

Nec mirum, meo quidem iudicio; vt in re minime quotidiana, & nunc primùm à seculo visa . Ut profectò , si non aliud , hoc solum argumento esse, potuisset anni Secularis , quem celebrabamus; dedissetq; ansam præconi opportunam inuitandi more solenni ad spectaculum , quod nec vidisset quisquam , nec visurus esset, Anglum inter Conscriptos Patres eminere Cardinalem . Non quin ea natio conchyliatos Proceres anteactis æstatibus eduxerit quamplurimos , Romanæ Sedis, si alibi usquam, præclara lumina, & firmissima præsidia, sed quòd splendorem illum foeda postremò labes -.

Verùm quò prouehor ? extra chorū nescio quo modo saltaui derepentè ad refricādum priscum vulnus, quod te nihil attinet , cùm proposuissest vnicè delectationem tuam . In gradum igitur redeat oratio. De Vaticano Germani tui triumpho mens erat hac duntaxat locorum intercedine certiorem te facere, scriptumquæ versu libellum ea super re qualemcumque nostrum , veteris obseruantiae pignus in te mæx, dedicare .

Non deerunt, scio, qui prima statim eius fronte commoti , perficti oris dicent auctorem, & contra me ,

*Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu,
incōditissimè bellico plusquam barritu clamitabūt.*

Car-

Carmina ut iste sua cum pyramidibus, metris, obeliscis, Aegyptiorum Regum fastus & potentiae gloriose monumentis, contendere audeat? hisque deinde *Arundelianis*, hoc est, flori & medullae omnium, per totum orbem quantovis pretio conquitis, æquiparare? Apagete cum Thrasone. Bona verba, quæso, Catones, nimis indicta causa rigidè censorij. Neq; enim subibit tantum vobis de nobilissimæ gentis magnificentia dicere, vt non ego digitum intendens ad fontes plus multò commonestrem, & præconijs semper altioribus extollam. Adite mihi primùm antiquitatis commentarios Io: Seldeni nostratis, pererudit scriptoris, quos abs re ipsa *Marmoræ* vocavit *Arundeliana*: cum notitia vnde loci apposita: nam titulus libri completur hoc modo: *Siuè, Saxa Græcæ incisa, ex venerandis prisæ Orientis gloria ruderibus transvecta in Angliam, auspicijs & impensis Thomæ &c. Arundelie &c.* tūm hoc amplius habetote, Italiam penè cunctam selectissimis signis, ac tabulis cuiuscunque materiae, dummodò elegantis artificij, per emissarios eiusdem, talium rerum curiosi amatoris, peritos homines, orbatam & spoliatam, accessisse in cumulum.

Nacti me sunt prolixum concessorem voluntati suæ, magisq; addictum amplitudini familie vestre, vt clientem tuum, PRAESTANTISSIME HEROS, quām facile putassent, Aristarchi. Num propterea cecidimus causa? nunquidnam confecere, quod minus opera poëtarum laminis & metallis pictorum, & fictorum æstimentur perenniora? At istuc promittere carminibus me volunt meis. Causam non dico,

dico, quin insolentissimus habear, homo semilatinus si tantum mihi sumpsi, aut somnians vñquam arrogavi. Restrictè locutus addidi *Fortasse* cum exceptione, secundum legis formulam in rē ancipiti, nec satis explorata.

Vtinam illud *Exegi Ouidianum*, aut cum Horatio alterum illud

Exegi monumentum are perennius,
& quod præcipue controuersiam inter nos facit,
atq;vt opinor, dirimit,

Regalique situ Pyramidum altius,
præfigere absolutè, meoquè quodam iure ostenta-
re fidenter licuisset; nñ ego iactantior Anco Rege,
rex mihi visus ipse, ansatis vlnis incederem, subli-
mi argumento *Hovvardine laudis*, sic tanquam
Homerus Achilleæ, par vates diuinitùs excitatus.
Quod potui solum, ampullacea verba, & splendi-
dissima quæque nomina Summi Pontificis, Alte-
rij Purpurati, Hovvardorum non vnius, basilicæ
Vaticanae, Quirinalis palatij, Magnæ Britanniæ, ad
commendandum nostrum munusculum usurpaui; ad
hæc in propria persona, Musæ meæ (si Deo placet)
superbiā commiscur, Oxoniensem, & Cæfaream,
eò vt dignior censerer buccinator; illius exemplo
pictoris non valdè boni, qui cùm Helenam pingens
vultum eius deformasset, auro, & gemmis ornauit
peplum; vt si non pulchram, certè diuitem obtrude-
ret. Sed iam Myndia porta vellicat aurem, nè sit am-
plior oppidulo, quod ingrediimur. Nolo te, OPTI-
ME MAECENAS atq; HvMANISSIME, utili defen-
sione mei priuatim facti morari diutiūs, atquè adeò
in

in publica commoda peccare.

Quamobrèm aliam lætitiam nouam prorsùs , ac inopinatam de Germano iterùm tuo, scilicet honorem ei præter consuetudinem ex indulgentiæ prærogatiua Pontificiæ tributum singularem , tecum vbi communicauero , deindè de te cùm addidero breuiter aliquid , de mequè ipso ad extremum vnum & alterum verbum subiunxero , faciam finem scribendi . Scias itaquè , sciat vniuersa tecum Britannia (nam ideo longior fui , vt hæc latè diffundentur propter raritatem) tu de auita domesticaq; gloria vsquè augeſcente , illa de peregrino ornameſto Aristidis ſui , non eum modò in ſacrum Collegiū vt Senatorem intuliffe pedem , verùm etiam præcipuo quodam sanctissimi , illiusquè amantissimi Principis beneficio ſe totum in Sacram aulam immififfe Palatinum habitatorem . Si ex cauſa , ſi ex persona , ſi ex facto ipſo coniectura eſt ducenda , multa quidem obuersantur animo tantę gratię conſectaria ; quæ reticere malo , quām effutire temerē . Quanquām carminum lemmata inſequentium clarūs iſta legenti explicabunt .

Nunc ad te ſermo festinat meus : cuius de præſtantia factorum & dictorum in omni genere ſatiuſ foret herclè , qnod dixit ille de Carthagine , tacere penitus , quām parūm loqui . Attamen quā promeritis erga me permagnis tuis , quā iusto atquè neceſſario officio & debito in te meo compulſum me ſentio , nomen vt aliquo tuum pacto prædicem , & eadem fidelia , vt dicitur , ſoluam ex parte meum . Nam illa facinora maioris notæ , publica & mirabilia

bilia, relinquo annalibus, & patriæ historiæ monumentis ad posteritatis memoriam consignanda: me iuuat intus mihi meti ipsi canere, rationesquæ eas celebrare tantum, quæ propriè mihi tecum communis intercedunt, patrocinij & clientelæ; multiplicis beneficij collati, huiusquæ simplicis redditæ gratiæ. Tametsi nondum omnium dierum Sol occidit: minor aliquid, quod sua lux prodet, magis æquale magnanimitati tuæ.

Quid enim? quo me genere præconij, atq; etiam muneris, paucos ante annos à Byzantino reditu hac in Angliam proficiscens non ornasti, missis insuper de nobis ad Aulam Cæsaream literis, vndè recens veneras, quām amplissimè scriptis? Cuius ego commendationis haud ita multò pòst percepi cumulatè fructum. Prætereo honorarium, lautum id planè ac sumptuosum, Musæ nostræ gratulanti reuerisionem tunc tibi saluam, impertitum; quòd quæ agis regificè, audire nolis, sed prouocari denuò cupis ad agendum. Non potui tamen summis obstrictus beneficijs aut imperare mihi, aut morigerari tibi, quin postmodùm eadem chorda oberrarem in legatione tua Africana post hominum memoriam luculentissima & maxima, ut extraordinarium honorem tibi à Rège delatum fortunare Deus vellet, tuquè re feliciter gesta cum iniuisa inaudita quæ gloria reuerterere.

At video necopinans, sermonem de me ipso, (quod erat propositum nobis tertium ante clausulam epistolæ) tuis laudibus complicatum incidisse. Omen finis arripi. Ecquid enim restat amplius, seor-

DEDICATIO.

9

seorsum de me magnoperè dicam? Nisi verò nimis
longitudinis huius, ac temerariæ adeò interpellationis erit excusatio subtexenda: quam tamen ipsam quis non intelligit erroris veniam auerteret,
cùm extendat causam? Nè plura: summa esto, confidere me maiorem in modum hoc opusculum, sub patrocinio emissum tuo, non tibi tantum, cui offero illud, sed quia tibi, alijs quoquè probatum iri,
& cum tanti auctoritate nominis longè lateque manaturum. Vale, paludamenti prælustre decus:
ac nostra xenia de fratre gloriösè togato boni consule.

Ab Urbe, ex Aedibus Iustinianis, a. d. VIII.
Id. Ianuar. 1676.

EXCELLENTIAE TVAE,

addictissimus servus,

Jacobus Albanus Chibbesius,
Romanae Academie Orator,
Poët. Laur. Cæl.


CA

B

AD

L A V S A C T I O .

V I R T U T I S



S I D E R A M E R C E S .

Hic antiqua vides maiorum Stemmatum, Princeps:
Das nova postgenitis ~~ASTRA~~ videre tuis.

C A :

I

A D



AD EMINENTISS: ATQVE REVERENDISS:

PRINCIPEM,

F.R. PHILIPPVM THOMAM
HOVVARDVM,

DVCIS NORFOLCIAE,

PERPETVI ANGLIAE MARESCALLI,

GERMANVM FRATREM;

¶ Sacro Prædicatorum Ordine S. R. E. Cardi-
nalem creatum,

Anno Iubil. 1675. Mens. Maij 27.

GRATVLATIO.



AIVS ab excelsa titulos hand iustiùs vnquam
Majestate tulit, neq; tanto veris honore
Se iactauit ouans, regalia germina quam cum
Stirpis Arundeliæ Romano murice tinxit,
Atq; sacrum Patribus lectis adscripsit Hovardū.

Nempè bono par mensis erat nec degener anno,
Saturni regnum referens, & Virginis astrum
Sub specie Alteria Stellæ. Nam respuit imas

Pacto alio à Superis Astræa reuisere terras,
 CLEMENTIS Patris obsequio, & moderamine læta:
 Rem miram vnius monstrant hæc tempora seculi
 Angligenis, laxare parat quo maximus orbis.
 Arbiter, atquè idem præses sublimis Olympi,
 Scriniæ Diuorum, ac cœlestia munera pandit;
 Thesauros latè spargens mortalibus ægris;
 Te quoquè neglectam venisse, Britannia, dudum,
 Currit ab insigni quām longum tempus Alano,
 Præcipuam in partem, rubro dignata galero,
 Sperares cùm tale nihil, vel credere posses.
Albion, ipsa facis polluto nomine mitum,
 Quām sciuncta loco, Latij tam dissita sacris.

Attamen vnuis homo, prauæ telluris alumnus,
 Propositi ille tenax & spectatissimus æqui,
 Herōum soboles, ac longo sanguine Princeps,
 Grandior at patrio censu virtutis auitæ,
 Nec fidei desertor iners, nec transfuga campi,
 Cognitus, excubias ad propugnacula seruans
 Maiorum exemplo pro Religione satelles:
 Pro qua mille neces, quæcumque pericula vitæ,
 Omnes fortunæ vultus, vncosqué, rotasqué,
 Pauperiem, & vilem cultum, durosqué labores
 Constanti nunquam dubitauit fronte subire:
 Hic tibi restituit famam, Sanctæquæ vocamen
Insulæ Oceano in vasto; veniamquæ rogauit
 Cœlicolas, rursùm ut fieres *Dos Virginis* almæ.
 Scitur, Aranidæ quantum miseratus ab alto
 Detulerit soli Deus ob pietatis amorem.
 Totas sæpè vrbes texit iustissimus vnuis,
 Nec rarò populis renouauit scederis arcum.

O bene! diuinæ sed quis penetralia mentis
 Explicit, æternos aut possit voluere sensus?
 O decus arcana sortis, memorandaquæ fastis
 Gloria, virtutem profugi velut umbra secuta,
 Post tergum quæ sedit eques! Nouus aduenæ terram
Dùm

Dùm premit ighostam, non miti lege Senatus
 Pulsus in exilium nupèr, *Norfolcius* heros ;
 (Causa tulit : CHRISTVM Romanè fassus abito ;
 Contrà qui steterit, capital fecisse putator:)
 Eccè Quirinali, vel sic, occurritur ostro
 Menapios intra fines ad litora Scaldis ,
 Ingratae patriæ iussus præponere Romam
 Principis imperio , frènat qui Tybridis arces ;

Nostrì odio natale solum te quandò repellit ,
 Noster eris : Fratres inter numerabere nostros ,
 Te maior primo, procerum cùm maximus ires.
 Exilium felix , Capitolj habuisse triumphum :
 Illius inuidia reparat sic Roma minutos .
 Ocyùs hùc, eià : Ausonium & nunc indue coccum .

Scriperat hæc Genitor : tabulas fert nuncius albas
 Præcipiti cursu, Bruxellæ in sede moranti .
 I, *Fama*, altisonæ notissimâ filia Cliùs ,
 Exere pennarum remos librata per auras ,
 Atquè his immensum comple clangoribus orbem
 Antè, suis tantos quàm sentiat author honores .
 Ultimus esto ipse; ignaro gratentur vt onnes ;
 Ac plausus pompis veniant Laurentibus apti.

Talibus haud facilem dictis accommodat aurem
 Ille quidem, & fastus odit, quos fugerat olim
 Penè puer, Regum ältorum , prognatus ab ipsis :
 Præ cunctis opibus, tecisque illustribus optans
 Veste sub obscura, contractæ in limite cellæ
 Magni sancta sequi *Calaroge* iura *Magistri*.
 Sed quid agat ? Superum frustrâ pugnatur amori ,
 Addicatos si laude volunt cumulare clientes .
 Mentem aperit coeli. Interpres : parere necesse est.
 Exemplum graue cedendi paulò antè *Grauina*
 Præbuit assultu simili , dùm ferre latebras
 Mallet adoratas pariter , *Guzmannia* pubes :
 Multa diù lucratus obijt præcepta parentis .

Ergò agite, egregij Fratres virtute, vel ortu ;

Nobile stemma Ducum, claris incumbite cœptis,
 Atquè augete genus præstantis lumine vita.
 Oebalio niteant Ledæ fidere Diui;
 Oebalio vincit nexus splendete sodales.
 Vos ego, cantando si quicquam nostra Camœna
 Proficiet, veniens olim demisit in ævum,
 Alite Mœonio seculi miracula tollam,
 Nullaque post ætas meritos obducet honores.
 Pars mihi laudis erit, *Clastrum* vertisse Theatro:

EMIN: TVAE.

Romæ, ex Musæo meo,
Cal. Jun. 1675.

[Humillimus cliens &c.]

Ex libris Stemmatum & Stigmatum, siue Imaginum Ghibbesianarum.

ICON DXLVI.

PHILIPPI THOMAE HOVWARDI

DE NORFOLCIA, S.R.E. CARD.ANGLI,

*Iam indè à seculo nunc primūm ex ea
 gente creati.*

P Hœnix conspicitur Britannus iste:
 Vnum rata Avis expetebat ævum.

Ad

Ad Eminentiss: ac Reuerendiss: Principem,
PALVTIVM CARD. ALTERIVM,
CLEMENTIS X. Pont. Max. Nepotem
 amplissimum.

*Cui carmen gratulationis antecedens offert, & pro
 illius in tanta re nauato studio gratias agit.*

HENDECASYLLABI.

ALTERI, accipe luculente partem,
 Summum Romulei iubar Senatus,
O& Ghibbesij decus clientis,
 Nostri carminis: optimoquè iure
 Laudes nosce tuas , datas *Hevaro*.
 Sancto illum Patrio probans merentem
 Virtutis titulo,ac nitore gentis ,
 Digna Pontificem nota mouebas ,
 Sic *Ostro* ut decoraret *Ofracismum*.

Ex Imaginibus Ghibbesianis.

ICON CCCCLXXVI.

PALVTII CARD. ALTERII,
S. D. N. Nepotis ,

In familiam, & in curæ partem adoptati .

QVæ mentem dotes ornent,hinc collige : nomen
 Ferre suum **CLEMENS**, & dedit orbis onus.

CAR.

CARD: HOVVARDO DE NORFOLCIA,

*Romam aduenæ , portamquè Vrbis Flaminiam intro-
eunti , mense Decembri , sub dies Natalitios
SS. Seruatoris .*

E P I G R A M M A.

E Sto Quiris avibus dextris , felicibus astris
 Ad iuga perductus Tybridis alta , Pater.
 Iamquè sacro coram sistaris Præside Romæ ,
 Purpureo qui te cinxit honore procùl .
O quibus admittet Senior pia ad oscula signis ,
 Iudicio firmans facta priora nouo !
 Cùm bona virtutis præsentius ista vibebit ,
 Ac tanta iunctum religione decus .
 In te cùm releget priscae compendia gentis ,
 Concha velut salsa quæ fuit inter aquas .
 Et candoris amans , ceno iurata Britanno
 Quàm' fœdari vñquam , terquè quaterquè mori .
Quanquam diues opum , quanquam alti sanguinis illa ,
 Hæc super , intactam creditit ire fidem .
 Cuius eras testis , quandò sententia menti
 Exilio patriam posthabuisse stetit .
 At stultus quid ago ? de Tristibus aggero librum ,
 Cùm Metamorphosis lætius instat opus .

NOVI CARDINALIS, AC REGINALDI POLI
collatio, Angli utriusq; & ex clarissimis familij.

A V G V R I V M.

Quan-

QVANTUM fert patriæ *Reginaldi* purpura lumen ;
Tantum, plusquam dabis, non minor ipse *Polo*.

BEATISSIMO PATRI CLEMENTI X.
PONT. OPT. MAX.

Portam Sanctam Iubilgi, siue Anni secularis
claudenti .

BONVM FACTVM: recognosci dignum ac pre-
dicari *Ad multos Annos* :

Propter Cardinalem Anglum eodem anno nunc pri-
mum iam inde à seculo renuntiatum precipue
gratulans vaticinatur .

P H A L E V C I V M .

SAcro tempore seculi nouati ,
(Quod felix tibi vertat , atq; nobis)
Diuino geminæ vigore clavis
Thefauros Superium benignus orbi
O Sanctissime , iusseras recludi ;
Cœlestemque adeò patere portam
Bis sex non nisi mensibus premendam .
Hoc inter spatiū fluentis anni ,
Rem , quæ nobilitarit vna seclum ,
Ulra secla tuam feretq; laudem ,
Gentes prospiciens ab arce Romæ
Perclemens dominus , vigilque custos ,
Extremis hominum facis Britannis .
Non visum solido renasci ab ævo
Phœnicem Angligenæ stupemus omnes ,

Applaudunt aliij : colore rubro
 Dùm splendere sacrum iubes *Hovardum*,
 Ac patrem Latij creaſ Senatus.
 Vates auguror hoc canoquè factò :
 Hic noto *Pater ut Beate* cludas,
 Secto Portam aperis in orbe Sanctam.

E I D E M

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO,

*Sub faūtis vertentis anni auspicijs Sedein & Annos
 interminati temporis apprecatur.*

E P I G R A M M A.

Pontifici, Petri non annos, SANCTE, videbis,
 Roma canit : videat Roma nec alma tuos.

Ex Lib. Imaginum.

I C O N CCCCLXX.

C L E M E N T I S D E C I M I
 P O N T. M A X.

*Omnibus suffragijs Sacri Senatus ad mundi imperium,
 cùm octogenario maior esset, euecti.*

DEpontanum aliàs dat sexagesimus annus :
 Octoginta anni regna dedere tibi.

Car-

*Cardinalem de suo Ordine cœnobium excepit S. Maria
supra Mineruam urbis hospitem, mōx Palatum
optimi Pontificis vocatu asciuit inquilinum.*

E P I G R A M M A.

Finibus è patrijs eiecit tristis Erinnys ;
Te gremio Romæ lœta Minerua capit.
Inde Palatinus tecta ad sua traxit Apollo ,
Dilectum Sancto composuitquè Patri .
Non ideò vt lœdant, mittuntur fulmina semper :
Quondam etiam vomicæ venit ab ense salu s .

*Habitatio Sacri Palatij cessit Purpurato nostro in par-
tem, unde tres deinceps Cardinales prodiere
nonissimi Pontifices .*

E P I G R A M M A.

Silius indormit tumulo pro mente Maronis ;
Certijs afflasset, credo, cubile vitum .
Pontificum pars hæc aulæ solet esse creatrix :
Tu colis : in sedit spiritus ille loco .

Ode sequentes duæ duobus Fratribus Eminentissimi Purpurati nostri scriptæ pridem fuere , cùm vterque Romain deinceps inuiseret : alter quidem, scilicet Henricus, an. 1666. alter autem quadriennio antè, 1662.

HEN-

HENRICO HOVVARDO,
MAGNO ANGLIAE MARESCALLO &c.

Cum Byzantio à Lesleiana legatione Romam redux
per Hispaniam tenderet in Britanniam.

O D E.

Byzantina sacrī mōenia turribus
Vrbis Romuleæ, credere certior ,
Mutasti ; bona postquam

Lunæ fcedera videras

Consentire Aquilis, prædibus Imperij
Huius pacis eras tu quoquè pars grauis,
Leslœo celer ire

Extrema comes Anglia :

Auctori minimum dissidet integro
Specandus socius. Quem cuperet p̄tis
Prudens Cæsaris Hermes

Hovvardo sibi Theseo ?

At non ē medijs ille penatibus ;
Primus venit apex : cui gerit vnicē

Arandelia morem ,

Quo Norfolcia ducitur .

Vrbs nūc sancta alaci te capit hospitem
Vultu , flere nouis prona recessibus ,

Mox tendes vbi claræ

Aulam visere Iberiæ .

Merces digna viæ pax erit altera ,
Legati nequeunt quam duo iungere

Reges inter acerbos ,

Decreto facilis tuo .

Tan-

Tandem laurigeris fœtus honoribus
 Intrabis cupidæ limina patriæ,
 O HENRICE, triumphans,
 Vt Consul Capitolium.

Ex Imaginibus nostris.

ICON DLXXXIII.

HENRICI HOVVARDI &c.

Cùm ceteris in rebus nobilissimi Principis ac libera-
 lissimi, tūm in eo præcipue, quod Societati Regiæ do-
 cum Arundelianam ad hebdomadarios congressus
 commodarit, eidemque bibliothecam insuper op-
 timis libris refertam addixerit, Anglici
 vel Musagetæ, vel Evergetæ
 dicendi.

Q Vi Musis ædes Regalibus, æquaquè donat
 Munera; Alexandri cor animumque gerit.

AD BERNARDVM HOVVARDVM,

Principem iuuentutis, Ducis Norfolciæ fratrem.

Celebrat ab Vrbe discedentem Aprili mense. Quan-
 tus honos ei habitus Romæ ac Neapoli narratur.

O D E.

Er-

ERgo abitum clare nequeunt spectacula Romæ,
 Longo videnda seculo,
 Nec Cumæus ager, cedant cui Thessala Tempe,
 Primusquè flos Neapolis
 Ad paucos proferre dies dedit Anglia calcar?
 I,(quando amicorum preces
 Non retinent) i, vere nouo, Zephyrisquè benignis
 Dulcem reuise patriam.
 Te cupit illa magis. Iuuenis sic vellus Iäson
 Optatus aureum tulit:
 Sic Ithacæ populus varium miratus Vlystem est,
 Gaudebit vt Britannia,
 Illustri morum censu ditata tuorum,
 Ac mille maior artibus.
 Est aliquid meritis niti fulgentis alumni,
 Ceu se efferebat Ilion
 Hectorea virtute potens, vel Apolline Delos.
 Quas grata persoluet vices
 Pro decore accepto, pro tanto nomine fusio,
 Quot intulisti gentibus,
 Tecum errans, tecum fama sublimis eodem!
 Quis ille? si quæsuerit
 Italus, aut Belga, aut Gallus, vel Dalmata, vel Thrax;
 Quis ille mirè splendidus,
 Ille hospes, forma insignis, viridique iuuenta,
 Cunctis refertus Gratij?
 Magnus Arundelia sanguis dicere Britannus:
 Haec iure non superbiat?
 Qualem vidi equidem nupèr: stupuere Quirites
 Præter notari euntium
 Voce manuque simul; Romanus cùm Pater alto
 Tractauit admisum modo.
 Indè alij socium proceres curruque, domoque,
 Mensaque iunxerunt sibi.
 Carolus ante omnes, facti pars lecta Senatus,
 Ingentis Vrbani nepos,

Per-

Perpetuò affixit studijs æqualis & annis,

Multo granatum munere.

Talibus exemplis quid non excita laborat

Monstrare formosum tibi

Parthenope cum rege suo? Sirenes amoenis

Fecere plausum cantibus.

Nec minus ad Thamesin notis celebrabere cychnis,

Qui fratris ædes prænatant.

Alteri Norfœlciæ spei, inclyto Adolescenti,

THOMAE HOVVARDI,

Eminentissimi Cardinalis fratris Marescalli Filio secundo.

Patrui eum Purpurati comitem in Italiam Ascanio
Aeneæ, re simili, confert, ac denique præfert.

E P I G R A M M A.

VT pater Aeneas, & auunculus Hector Iūlum

Bellicus hic factis excitat, ille pius;

Par decus Herōum tibi sanguinis obtulit ordo:

Inferius genitor nil patruisquè monent.

Venit in Italiam iuuenis sic cultus vterque:

Italia palmam iudice laudis habes.

Trojungenæ *Alba* dedit, dat plausum *Roma* Britanno:

Angle præis; quantum cernitur *Alba* minor.

Purpurati Patris natale solum.

AD EPIGRAMMAM

Misisti tantam, longinqua Britannia, gemmam;
Trans mare mercator sic adamanta petit.
Crescis iò fama, gens vt tua creuit honore:
Nescio quid magna nunc mihi maius habes.


AD VRBEM ROMAM,


Virtutis omnis præmium, ac triumphum.

EPIGRAMMA.

Te quoquè concelebrem, caput huius metaquè laudis,
Roma; vt eris nostri meta caputquè libri.
Nobilitatis apex fulget rerum optima Virtus;
Maxima virtuti, *Roma*, theatra facis.

F I N I S.





Special 91-B
27827

